

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis  
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,  
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -  
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 1. Horae Tertiae mysteria. Numerus Ternarius commendatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

CAPUT VII.  
DE TERTIA.

S. I.

*Hora Tertiae mysteria. Numerus Ternarius  
commendatur.*

## METRUM XIII.

Q Vis me Numinis impetus  
 Sublimem vacuo librat in ære?  
 Falsa ludor imagine?  
 An celsum volucris transfilio polum?  
 Quo me nubila præpetem  
 Attollunt rapido turbine concitum?  
 Aut quis me potuit furor  
 Stellis inferere, & concilio Dei?  
 Absitant procul impii,  
 En præsens Deus est: Sentio spiritum.  
 Rugitu reboat polus,  
 Atque æther rapidis depluit ignibus.  
 O vos pectora pandite,  
 Quos Numen populi cœtibus eripit.  
 Nil parum, aut humili modo,  
 Nil mortale loquar. Sed referens Deo  
 Gratas obsequii vices,  
 Devotis feriam sidera vocibus.

I. Elevatus est enim ab ortus sui primordio igneus solis splendor, altius processit, dilatavit radios, incaluit, & invaluit acrius ardens, efficacius illuminans, potentius influens. Novis igitur illustrata fulgoribus fidelium Ecclesia tertia diei hora rursum laudes Deo canit, nova luce divina cognitionis induitur, novo veritatis

ritatis splendore allicitur, sacrarumque precum delectabili suavitate pinguescit. Quomodo enim hac hora tacere poterit, quam tot veneranda mysteria, ipsaque Spiritus sancti gratia cœlestium charismatum sacramentis nobilitarunt? Nimirum hac hora Dominus noster ex sententia (*a*) Ruperti Abbatis spinis coronatus Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud, (*b*) *Fili hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*: nam Pilato judicante illum dimitti, firmaverunt sibi sermonem nequam, pertinaciter clamando, Crucifige crucifige. Et ille quidem ini quis judex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus, auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum inquis reputatus, Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi crucem ad locum supplicii contumeliis & blasphemias laceratus pervenit: ipsoque patibulo in terra defixo immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia hora tertia contigisse (*c*) Ignatius Mattyr, & Athanasius obser vant.

II. Ipsum etiam Tertiæ nomen ex ternarii numeri significatione multa suggerit haud indigna solerticon sideratione. Trias princeps imparium numerus, perfectusque censetur, nam prior initium, medium, & finem sortitur: & quia unitate media interveniente sectionem non recipit, ut in duo æqua dividatur, idè, teste (*d*) Hugone, indissolubilia, & incorruptibilia designat. Monadem fabricatori Deo, diadem materiæ, triadem idealibus formis aptarunt (*e*) Antiqui, ac propterea ipsa Trias mundana perfectio est. Celeberrimum est Pythagoræ dogma, numerum ternarium masculum esse, & aptissimum ad agendum. Atque hinc

*a* Rupert. lib. 1. de div. off. cap. 3. *b* Psalm. 56. *c* Ignat. ep. ad Trallian. Athan. lib. de Virginit. *d* Hugo Viët. lib. de scriptur. cap. 15. *e* Mattian. Capella lib. 7. Aristoteles 1. de cœlo.

emanasse arbitror vulgata illa inter sapientes proloquia, Tria esse omnia , Tria in sacrificiis offerri debere , ut sic omnia in Deum conditorem referri viderentur, Trina in corporibus dimensio est : Geometrici corporis prima planities tribus lineis constat , quibus trigonalis forma concluditur. Formæ , & actui ob perfectionem attribuitur Ternarius. Monas per Ternarium omnia perficit , ac definit : estque Trias unitatis tam internæ , quam externæ fœcunda expressio. Pythagoras , qui primus in Italiam Philosophiam invexit , tantum Ternario tribuit , ut omnem Deitatis rationem eo perfici affimarit. Idem nullum numerum in se amplius duci voluit , quam trino progressionis ordine , adeò cubum in numeris velut completum observabat. Porrò hunc numerum habemus à natura : est enim progressus multitudinis ab uno , & ad unum regressus. Opifex seipso contentus summa unitas est , in creaturas , quas produxit , diffunditur binarius , easdem ad se revocando ternarium compleat reductis omnibus in proprium finem. Unitas perfectissima est , binarius dividens infastus , tenarius convertens in Deum felicissimus. Tres sunt rerum omnium proportiones , quas Timæus vincula nominat , Musica , Arithmetica , Geometrica : his constat universi pulchritudo. Quid plura ? Mundus Archetypus , adoranda scilicet , & augustissima Trinitas in simplicissima unitate hunc numerum modo prorsus ineffabili consecravit. Extant in sacris literis innumeri propè ternarii , quos sancti Patres ad hujus mysterii notitiam applicarunt. Theologi quoque cum (f) Magistro sententiarum , imaginem & vestigium Trinitatis in omnibus creaturis trina rerum diversarum expressione agnoscunt , & admirantur. Adorabilis sancta Trinitas , ait (g) Chrysostomus , in Ternario gloriam habet , & veneratur Deus Ternarii prædica-

f Magist. i. sent. g Chrys. to. 4. hom. in illud Apost. Cum autem subiecta fuerint illi omnia.

tionem in terra, & virtutum numerum, quod numero sanctæ Trinitatis respondeat. Multi sunt Patriarchæ, & Deus seipsum vocat Deum Abraham, Isaac, & Jacob. Non quod non sit etiam Deus Moysis, & aliorum, sed veneratur sicut in imagine in terrenis cœlestia. Quid dicam de mundo Angelico, cuius triplex Hierarchia, & cuiusque Hierarchiæ triplex chorus, triplex item actus, purgandi, illuminandi, & perficiendi? Quid de cœlesti, ejusque motu? Quid de elementari? Quid de Microcosmo, ejusque potentiis, & facultatibus? In his enim omnibus admirabilis Ternarii vis, & efficacia relucet.

III. Volunt Platonici apud Franciscum Georgium (h) Venetum, res omnes superiores Ternarii cubo, inferiores autem triplici eneade comprehendendi. (i) Potho Prumiensis Presbyter in libris de domo Dei inter multa, quæ de hujus numeri excellentia differit, illud præcipue subtilissima indagatione investigat, quomodo Ternarius ad animam pertineat. Poëtæ cum sacrificia, libamina, & lustrationes describunt, hunc numerum solent adhibere. Virgilius in Pharmaceutria.

*Terna tibi hæc primum triplici diversa colore  
Licia circumdo, terque hæc altaria circum  
Effigiem duco. Et paulo post.  
Necte tribus nodis ternos Amarilli colores.*

Idem in Georgicis. k

*Ter liquido ardente perfudit nectare Vestam,  
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.*

Et in Æneide. (l)

*Idem ter socios pura circumluit unda  
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.  
Lustravitque viros.*

<sup>h</sup> Fr. Venet. Harm. mundi cantic. i. ton. 3. & 5. i Potho l. 2. & 4. de domo Dei. <sup>k</sup> Virg. Georg. l. 4. l Æneid. lib. 6.

Ovidius. (m) *Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.*

Idem. *Terque manu permulsi eum, tria carmina dixit,*  
*Carmina mortali non referenda sono.*

Propertius (n)

*Terque meum tetigit sulphure, & igne caput.*

Joannes (o) Tzetzes in historiis triplicem mortuorum conclamationem commendat ex Homero. (p) Theocritus in Idyllis, (q) Apollonius in Argonauticis, & alii Poëtae passim eodem numero utuntur. Deficiet me dies singula enarrantem, quæ ad Ternarii commendationem faciunt. Plura curioso lectori (r) suppeditabunt Girardus Rufus in Misticis commentationibus ad Severini Boethii Arithmeticanam, Annibal Rosselius in Pymandrum Trismegisti, Nicolaus Cusanus de docta ignorantia, Marsilius Ficinus in Plotinum, Petrus Bongus de mysteriis numerorum, Ausonius in grypho ternarii, Macrobius in somnium Scipionis, Martianus Capella libro de nuptiis Philologiarum, Nicomachus Gerasenus in Arithmetica Theologica apud Photium, Albinus Flaccus apud quem extant quidam versus sancti Ambrosii de Ternarii mysteriis, & alii plures. Mihi non libet hæc diutius lectari, merito enim imprudentiæ accusarer, si lucem à minutis facibus mutuarer, quando fulget splendidissimus sol.

m Ovid lib. 6. meta. lib. 4. Fastorum. n Propert. lib. 4. eleg. 9. o Tzetzes Chiliad. 5. v. 550. p Theocrit Idyll. 2. q Apollon. lib. 2. r Rufus lib. 1. c. 9. l. 1. cap. Rossel. l. 2. q. 1. c. 1. diffusissime Cusan. l. 1. Ficin. in Plotin. l. 3. Ean. 1. Bongus c. de Ternatio. Ausonius Idyll. 11. Macrobi. lib. 1. cap. 6. Capella lib. 7. photius Cod. 187. Alb. Flaccus in fine ep. 69.